

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXVII. Qualiter cor homini cordi dei sit unitum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Per
communio-
nem anima
Deo
immersa
ac dilatata.

quis aqua abluitur, eo mundior redditur. Quo etiam sæpius communicat, eo amplius ego in eo et ipse in me operatur, et ejus opera magis sanctificantur. Et quo studiosius homo communicat, eo profundius mihi immergitur, et quanto plus divinitatis penetrat abyssum, tanto amplius anima ejus dilatatur, et capax divinitatis efficitur. Sicut quo sæpius aqua in unum defluit locum, eo profundius ipsum cavat, et ad magis influendum reddit aptiorem. »

CAPUT XXVII.

QUALITER COR HOMINIS CORDI DEI SIT UNITUM.

Cor hominis
divino
unitur per
desiderium
opera, et
voluntatem.

DUM vice quadam sacratissimi corporis Christi percepisset sacramentum, post dulcia cum ipso colloquia, visum est ei quasi Dominus acciperet cor animæ et comprimeret illud Cordi suo, ita ut in unam redigerentur massam. Et ait : « Sic volui ut hominum corda mihi per desideria essent unita sic, ut homo nihil sibi desideraret, sed omnia desideria sua secundum Cor meum disponderet, sicut duo venti insimul flantes unum aerem spirant. Secundo, uniri mihi debet in omni operatione sua, ut verbi gratia, cum dormire sive comedere debet, dicat in corde suo : Domine, in unione amoris quo istud commodum mihi creasti, et ipse in terris tali commodo uti voluisti, tibi in æternam laudem, et corporis mei suscipio necessitatem. Similiter in injuncto sibi opere faciat, dicens : Domine, in unione amoris quo te in laboribus exercere dignatus es, et adhuc in anima sine intermissione operaris, et nunc mihi hoc opus injunxisti, tibi ad laudem pro utilitate universitatis illud facio, quia dixisti :

Sine me nihil potestis facere (JOAN. XV. 5), orans cum tua perfectissima operatione uniri et perfici, sicut stilla aquæ magno immissa fluvio, omnia quæ flumen illud agit, etiam insimul operatur. Tertio, per voluntatum concordiam, sic ut omnia quæ ego volo, etiam ipse velit, tam in adversis quam prosperis : sicut electrum igne conflatum amplius non dividitur, sic homo ille unus per amorem mecum spiritus efficitur, quod maximæ perfectionis sive virtutis est in hac vita.

CAPUT XXVIII.

DE SCRINIO TRIPARTITO COR HOMINIS SIGNIFICANTE.

ITEM post Dominici corporis perceptionem, vidit coram se stare scrinium auro et gemmis mirabiliter ornatum, interius vero candidissimum et tricameratum. In superiori parte erant contenta vasa aurea; infra, vestimenta pretiosa; in inferiori autem parte, cibus delicatissimus. Per scrinium significatum est cor hominis, amore virtutum et bonis operibus redimitum. Per vasa aurea in superiori cella reposita, Sanctorum corda, quæ parata fuerant recipere Spiritus Sancti gratiam; quæ semper imitari debemus, habilitando corda nostra ejusdem Spiritus Sancti gratiæ. Per candorem autem interiorem, signatur quod anima volens Deo placere, cor mundum et ab omnibus terrenis liberum debet habere, non dijudicans facta hominum. Per vestes quæ in secunda erant cella designantur humanitatis Christi opera; et hæc vestimenta erant quadruplicia: prima erant purpurea, aureis trifoliis ornata; secunda erant viridia, aureis rosis intexta; tertia aerei coloris, aureis stellis inserta; quarta vero rubea, aureis liliis redimita.

Corda
Sanctorum,
vasa gratiæ.